



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 145. Joannis Castellæ Regis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.

A C. 1454.

§. CXLV.

*Joannis Castellæ Regis obitus.**Mariana*
l. 22. c. 14.
& 15.

Joannes Castellæ Rex sublato Alvaro Luna, cujus tamdiu fuerat mancipium, die vigesima Julii currentis anni lento morbo consumptus, Vallisoleti obiit, cum quinquagesimum ætatis suæ annum necdum expleffet, regnum tamen per quadraginta octo annos gubernasset; Elegit sibi sepulturam in Cœnobio Burgenli, quod a Patre suo extructum Carthusianis ipse Monachis dederat: Regni autem & vitiorum simul hæredem habuit Henricum hujus nominis quartum, Filium suum triginta annos natum. Hic Blancam Regis Navarræ Filiam, quam sibi uxorem duxerat, post decimum quartum annum, eoquod conjugalis in eam amor refriguisset, repudiavit, quam divortii sententiam primum Administrator Segobiensis Ecclesiæ pronuntiavit, Archiepiscopus vero Toletanus confirmavit, cum id ipsum permitteret Nicolaus Papa, non sine totius terrarum orbis stupore. Senferat illum Joannes Pater plurimum sibi adversantem; hinc Alphonsum alterum Filium suum potius sibi successorem nominare moliebatur; cum vero non nisi septem menses natus esset, imbecillis ejus ætas & majorum turbarum metus Patris confi-

consilio obstiterat. Ceterum Henricus Sæcul. XV. A. C. 1454.
antiqua pacis foedera cum Carolo VII.
Francorum Rege inita, & a Joanne Pa-
tre suo paulo ante mortem redintegrata
firmavit.

§. CXLVI.

*Æneæ Sylvii Epistola de rerum statu
illius temporis.*

Æneas Sylvius die quinta Julii Episto- Æn. Sylv. ep. 49. §. 58.
lam scripsit, in qua sigillatim Princi-
pum Christianorum res, quo statu eo tem-
pore fuerint, enarrat. Nos præcipuos
tantum delibabimus articulos, ex quibus
illius ætatis ratio luculentius perspici
possit. Data est hæc epistola ad Leo-
nardum, qui Æneam instanter rogave-
rat, ut omne studium, auctoritatemque
impenderet ad sollicitanda Principum
auxilia adversus Turcas. Æneas ad ea,
quæ Leonardus de Italiæ rebus pariter per-
scripserat, respondit; res, inquit, in Con-
ventu Francofordiensi tractanda ingentis sane
molis est; pax autem illa, quæ summis
Pontificum, ac Cardinalium curis præci-
pue vero vehementibus Simoneti Mona-
chi hortationibus inter Italiæ Principes
jam inchoata est, brevi plene perfici po-
terit; hos enim Principes bellum sat diu-
turnum fatigavit; hinc sibi persuasum
habent, concordiam rebus suis esse sum-

Hist. Eccles. Tom. XXVIII. Dd mo-